Quelle: http://manuscripta.at/?ID=42092
Copyright: Bozen/Bolzano, Museumsverein (Depot im Stadtmuseum)

et gnaciones suscitabis. Et uocaberis edificator sepium. auertens semitas inquitatis. Si auferis a sabbato pedem tuum. facere uoluntatem tuam in die sancto meo. et uocaberis sabbatum dedicatum. & sanctum domini gloriosum. et glificaueris eum dum non facis uias tuas. et non inueniatur uoluntas tua ut loquaris sermonem. Tunc delectaberis super domino. et sustollam te super altitudinem terre. et cibabo te hereditate iacob patris tui. Os enim domini locutum est hec. Graduale. Istud. Cum sero esset factum. erat nauis in medio maris. et ipse solus in terra. Et uidens eos laborantes in remigando. erat enim uentus contrarius illis. Et circa quartam uigiliam noctis. ueniit ad eos ambulans super mare. et uolebat preterire eos. At illi ut uiderunt eum ambulantem super mare. putauerunt fantasma esse. & exclamauerunt. Omnes enim eum uiderunt. & turbati sunt. Et statim locutus est cum eis. & dixit illis. Confidite. Ego sum. nolite timere. Et ascendit ad illos in nauim. et cessauit uentus. Et plus magis intra se stupebant. Non enim intellexerant de panibus. erat enim cor illorum obcecatum. Et cum transfretassent. puenerunt in terram genezareth. & applicuerunt. Cumque egressi essent de nauim. continuo cognouerunt eum. Et peruentes uniuersam regionem illam. ceperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre. ubi audiebant eum esse. Et quocumque intrabat in uicos & in uillas. aut ciuitates. in plateis ponebant infirmos. et deprecabantur eum. ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent. Et quotquot tangebant eum. salui fiebant. Secreta. Suscipe domine sacrificium cui te uoluisti dignanter in mola